

Joachim Schönemarck Heinrich Cosstede

Assertiones De Iudicii, Et Ubi Quisq. Agere Vel Conveniri Debeat: Desumptae ex tt. concord. ff. C. & Cano. Iuris

Rostochii: Reusnerus, 1605


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728316781>

Druck Freier  Zugang



RU. inv. 1605
Schonermarek, Joach.
(Pusz. Hist. Rostock)





178
78.

ASSERTIONES
DE IVDICIIS,
ET VBI QVISQ.
AGERE VEL CONVE-
NIRI DEBEAT:

Desumpta
ex tt. concord. ff. C. & Cano. Juris,
ad quas

I. T. E. V.

Sub praesidio

Clarissimi & Consultissimi viri,
JOACHIMI SCHONERMARCK
F. V. D.

PUBLICE
In Auditorio magno
respondebit


HENRICVS COSSTEDÉ
Mindanus.

Die 2. Novemb. hora 7. matutina.

I. D. 244. ROSTOCHII

Excudebat Christoph. Reufnerus. Anno 1605.

R U in Schonermarck



Landschaftsb. 976



V alienas res vi rapere haud licitum, nostras ita propria auctoritate auferre prohibitum, utrumq; siquidem quod Juri Naturali & Civili contrarium, inde liquet, quod addictas unumquodq; suas habeat penas. Ne tamen, quod amica petitione consequi haud possumus, nostro careamus, LL. constitutum ut hoc ipsum reposcamus per Magistratum vel Judicem competentem modo legitimo, hoc est, Iudicio intentato.

I.

Quod nobis est tractatio legitima rei controversa inter litigantes apud Judicem constituta, ipsiusq; Judicis cognitionem & sententiam continens.

I I.

Et in voluntarium vel necessarium dividitur. Illud est arbitrarium, qui ex consensu & compromisso à litigatoribus sumpti sunt. Hoc & Magistratum & Judicem quorum publice de re Jurisdictio & notio est, daturq; in invitum.

I I I.

Necessarium, de quo hac disputatione, inter reliquas habet species has subdivisas, Ordinarium scilicet vel extraordinarium, Criminale item vel Civile.

I V.

In ordinario solennis & inusitatus procedendi modus attenditur, quod in extraordinario secus.

V.

Criminale est, quo vel ad penam fisco applicandam, vel corpori

corpori rei infligendam agitur. Civile quo partes sibi commoda litis adjudicare petunt.

V I.

Constat autem iudicium, his rebus tribus velut partibus vel potius causis. Personis, Rebus & Forma.

V II.

Personæ in iudicio intervenientes eadem haud sunt. Quaedam enim sunt sine quibus consistere omninò non potest, & ob id rectè dicuntur Principales vel Necessaria. Quaedam sunt quibus Iudicium naturâ suâ carere potest, sed haud satis commode interdum, nominanturq; adjuvantes vel accessoria, & ha utiles vel iudicibus vel litigatoribus.

V III.

Principales quas diximus sunt IVDEX & duo litigantes ACTOR & REVS. Adjuvantes quæ iudicibus utiles, assessores apparitores, quæ litigatoribus advocati, & procuratores de quibus suo loco.

I X.

Iudex est qui præest iudicio, & de lite secundum modum suæ jurisdictionis legitime cognoscit illamq; determinat.

X.

Et hic qui vi suæ jurisdictionis vel jure magistratus iudicat Ordinarius, qui verò vi mandati jurisdictionis, specialisvè notionis cognoscit Extraordinarius secundum DD. appellatur.

X I.

Dare possunt Iudicem quibus id lege, constitutione, Scto, aut more majorum conceditur.

X II.

Quod ad delegatum seu pedaneum extendimus, si à Principe sit datus. vel subdelegandi hac ipsi facta potestas.

Judicandi

XIII.

Iudicandi potestas in genere cum sit permissorum, in univ^{er}sum statuendum, omnes tam filiosfam. quam patresfam. dari posse, dummodo non prohibeantur.

XIIII.

Et horum tria sunt genera, quidam enim prohibentur conditione vel personæ, vel Negotiorum, vel aliarum causarum in eam causam de qua agitur incidentium.

XV.

Conditione personæ, alij Natura^l, quidam legibus. Natura, in quibus non est facultas earum rerum quas Iudicis munus desiderat.

XVI.

Ad hanc classem, mutus, surdus, impubes, quia iudicio caret, referuntur.

XVII.

Furiosus etiam perpetuo, datus tamen in eodem officio permanet, licet furere ceperit, quia rectè ab initio Iudex additus, sed iudicandi necessitatem morbus fonticus remittit, ergo debet mutari.

XVIII.

Minorem 18. annis, superioribus adijcimus, illumq; majorem, minorem tamen 25. annis, subire hoc publicum munus volentem admittimus.

XIX.

Illiteratus, nullamq; Iuris peritiam habens, an officio hoc queat Iudicis fungi. quidam querere audent. Nos cum iudicium non hic requiramus quodvis; sed id quod potest esse ex Iure & Legibus de re controversa, repellendum hunc asserimus.

XX.

De cæco contrarium ut statuamus Iuris ratione inducitur,

mur, non ut modo susceptum finiat, sed ut de nova dari possit, exceptis his causis quæ per sensum oculorum dijudicanda maxime veniunt.

XXI.

Legibus qui prohibentur sunt foeminae, servi non quia non habent Iudicium, sed quia receptum, ut Civilibus non fungantur officijs.

XXII.

Senatu quoq; propter turpitudinem remotum ab hoc illa remouent, nisi sit vel restitutus, vel tempus condemnationis præterlapsum.

XXIII.

Ex quo hoc deduci potest, omnes turpitudine vel aliqua infamia notatos à Iudicandi munere arceri, ut sunt heretici eorumq; receptatores, excommunicati, publico Iudicio de vi damnati, & reliqui infamia macula laborantes.

XXIV.

Corrigitur autem hac inhabilitas, si vel ex certa scientia Principis quis horum datus, vel partes inhabilitatis exceptionem non opposuerint, vel communi opinione pro habili seu idoneo reputatus.

XXV.

Conditione negotiorum prohibentur Iudices dari in his causis, quæ specialiter Magistratum cognitioni sunt reservata, quales erant criminales vel civiles illa, quæ dicuntur notionis, seu cognitionis Prætorie,

XXVI.

Quod & in alijs causis hodie verum putamus, dummodo multitudine causarum non obruatur magistratus, vel publicis negotijs distringatur, vel negotia sint humiliora,

Condi-

X X V I I.

Conditione caufarum incidentium prohibentur suspecti, & incompetentes.

X X V I I I.

Suspectus is dicitur, qui timetur ne aliter iudicet quam debet, aut legibus est praescriptum, idque maximè vitio animi corrupti.

X X I X.

Causæ quæ corruptum vel suspectum arguunt ferè sunt, si agatur de re iudicis, si is inimicus vel insensus nobis, si amicus adversario, vel ab adversario ultro petitus. Et generaliter statuendum, quaecumque sunt causæ rejiciendi testis ob suspicionem, easdem intelligi debere & rejiciendi iudicis.

X X X.

Hinc est quod qui Iurisdictioni praest, neque sibi, neque liberis, itemque ceteris quos secum habet jus dicere queat.

X X X I.

Vtrum autem Index de sua iurisdictione à partibus à se citatis in dubium revocata iudicare possit, non inconvenienter queritur? Affirmantibus subscribimus.

X X X I I.

Et potest tam ordinarius, quam delegatus recusari omni jure, dummodo causa recusationis libello porrecto exprimantur, coramque ipso recusando, vel ipso absente, coram loci ordinario vel alijs viris honestis, ut reliqua dilatoria, ante litis contestationem proponantur.

X X X I I I.

Quod dictum nolumus, si post litis contestationem quadam emergat, vel allegans ignorantiam ejus justam juramen-

juramento probare velit, tunc enim & hanc opponi posse Iuris
suadet ratio.

XXXIV.

Princeps etiam, si causam cum clausula remota recusatione
delegaverit, non nisi ex gravibus suspicionibus illa auditur,

XXXV.

Incompetens is dicitur, qui inter personas & de ijs re-
bus suam exercet jurisdictionem, ad quas ea non pertinet:
quippe cum persona & res competens habeant forum, ubi earum
causa debent cognosci & examinari,

XXXVI.

Clerici itaq; regulariter conveniri nequeunt coram Laico
iudice, sed tam in civilibus, quam criminalibus coram Ecclesia-
stico, tanquam iudice competente, conveniendi.

XXXVII.

Hoc secus, si vel actione reali conveniuntur, vel emptori
evictionem prestare coguntur, vel in iudicio nominantur.

XXXVIII.

An autem clericus Laici heres, ceptam litem coram secu-
lari iudice proseguere teneatur DD. est conflictus. Ab affirman-
tium stamus partibus.

XXXIX.

Nec inelegans sese hic offert questio, num studiosus ratio-
ne contractus alibi inchoati coram magistratu municipali conven-
tus, exceptione incompetencia sese defendere possit? affirmati-
ve respondemus.

XL.

Sacerdotes seu iudices spirituales de Laicorum causis notio-
nem ullam non habent, nisi illa sint vel spirituales vel his an-
nexa.

XLI.

Itaq; ex supra positis concludimus, quod sententia à non suo
vel

vel incompetente Iudice dicta quemq; litigatorum non constringat, nullitasq; jurisdictionis perpetuo, etiam post res sententias conformes, opponi possit.

XLII.

Fit autem hic competens & sans, vel prorogatione vel reconventionem, illa expressa vel tacita.

XLIII.

Expressa si privilegio fori pro se introducto quis verbis expressis renunciat, & in eum consentit Iudicem, casus jurisdictioni subjectus non est. Tacita si dilatoria opponitur, vel lis contestatur.

XLIV.

Nec refert, Iudex, cui sponte litigantes se subjiciunt, propriam, an verò mandatam habeat jurisdictionem.

XLV.

Resilire tamen ab hac licitum, si res adhuc integra, hoc est, si Iudex non sit aditus, nec prorogatio juramento mediante facta.

XLVI.

Quod cum dicimus, ad Clericos hac extendenda non sunt, siquidem hi absq; consensu superioris, etiam interveniente iurando, jurisdictionem Iudicis laici prorogare nequeunt.

XLVII.

Reconventionem competens fit Iudex, cum reus conventus adversus actorem vicissim sub eodem Iudice, ante litem contestatam, actionem instituit, dummodo causa reconventionis sit talis, de qua Iudex conventi cognoscere queat.

XLVIII.

Adeoq; hoc verum est, ut etiam Clericus agens coram Iudice seculari per reconventionem in eodem Iudicio distringatur.

B

An ve.

X L I X.

An verò Sordiosus conveniens civem vel alium plebejum coram magistratu municipali, ibidem possit reconveniri, & vicissim conventus coram suo Rectore convenientem reconvenire queat, ut necessarie queritur ita dubiè à DD. respondetur. Nobis affirmativa arripet sententia.

L.

Jure ita datus nec recusatus Judex, causa plenè cognita, lites, partibus citatis, sententia determinare debet, ut legibus, constitutionibus aut moribus proditum est.

L I.

Quod si in fraudem legis dolo malo sententiam tulerit maleq; judicaverit, litem suam facit, & ad litis aestimationem cum fame dispendio conveniri potest, sin imprudentia, penam sustinebit arbitrariam.

L I I.

In judicando tamen, etiamsi pedaneus, equitatem magis quam strictum jus, ob oculos habere debet, nec tam scientiam propriam sequi, quam acta & probata, Ita tamen ne contra conscientiam suam judicet.

L I I I.

Curare autem debet ut omninò certa rei vel pecunia sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud ipsum actum fuerit.

L I V.

Victum etiam victori in expensas litis, jure jurando ab actore aestimandas, ex officio etiam non petitas condemnare vel absolvere potest, quo omisso, victori nulla expensarum nomine in victum competit actio, sed adversus Judicem datur regressus.

Causam

L V.

Causam autem compensandi expensarum, vel ab illis absolvendi in sententia exprimendam esse de jure communi DD. tradunt. Sed cum ab hoc consuetudine in plerisque Judicij recedatur, sufficit in genere meminisse causa compensationis justa.

L V I.

Temporis quoque rationem habebit, ita ut civiles intra triennium, criminales vero intra biennium, à lite contestata terminet. quod si ausus fuerit protelare in panam L. proferendum §. sin autem 8. C. de judic. incidet.

L V I I.

Hoc tempus, ut partium consensu abbreviari, Ita an prorogari possit, non minima inter DD. est pugna. Negantibus stipulamur, etiamsi juramentum accesserit.

L V I I I.

Ideoque si post triennium fereretur sententia in civilibus, utcumque partes consentiant illam ipso jure nullam esse, solutumque tanquam indebitum repeti posse, consecrarium.

L I X.

A quo cum jure Can. videatur recessum, corrupto hoc seculo neutram hanc prescriptionem in exercendis judicij servari testatur quotidiana experientia.

L X.

ACTOR in judicio is est, qui actionem intendit, & ad judicium prius provocat. in duplicibus vero judicij, si ab utroque provocatum, sorte per taxillos res discernenda.

L X I.

In casu L. diffamari C. de ingen. manum quibusnam actoris partes sustineat inter diffamantem & diffamatum questionis est difficilis & ambigua? Nos auctoritate Cam. Imp. has diffamanti deferimus.

B 2

Agere

L X I I.

Agere indistinctè nec omnes possunt, sed illi demùm qui legitimam consistendi in iudicio habent personam, nec natura vel lege prohibentur.

L X I I I.

Ad priorem classem pertinent infantes, pupilli, furiosi, mente capti, muti & surdi simul.

L X I V.

Posterioris qui sunt non eadem illorum conditio & jus. Quidam enim omninò ab agendo arcentur ut servi deportati & de jure Canon. excommunicati.

L X V.

Quidam tamen non adhibito consensu vel Magistratus ut Liberti, vel parentum, ut filijfam, in sacris paternis retenti, vel curatorum, ut minores 25. annis, vel superiorum, ut monachi.

L X V I.

Quod verò de filiofam. & minore asserimus, non ad causam possessionis momentanea & peculij Castrensis vel q. extendi volumus, sed hisce casibus utrumq; legitimam in iudicio standi personam habere defendemus.

L X V I I.

Reus est qui convenitur, vel à quo aliquid in iudicio petitur.

L X V I I I.

Et quidem conveniri possunt omnes etiam ij, qui ad agendum non admittuntur, ut filijfamilias invito patre, excommunicati, deportati.

L X I X.

Sunt tamen quos vel lex, veletas, vel officium eximit, ut servi, pupilli, minores absq; curatore, olimq; Magistratus majores

jores temporales", quibus addimus legatos ubi legatione funguntur, nisi post legationem ibi vel contraxerint, vel deliquerint.

LXX.

Forum rei conventi actor regulariter sequitur, quod ille precipue sortitur, ratione vel Domicilij, vel obligationis, vel rei petite.

LXXI.

Ratione Domicilij, ubi larem suarumq; fortunarum summam quis constituit, unde non su discessurus, si nihil avocet.

LXXII.

Cum autem dubitatur quis animus ea in re cuiusq; estimandus is vel munjs vite, vel ex conditione persone.

LXXIII.

Ex habitatione quoq; longi temporis animum hunc argui DD. volunt, quorum sententia etsi non prorsus aliena à jure, Judicis arbitrium tamen hoc in casu plurimum valere putamus.

LXXIV.

Planè sicut unus nullo certo loco, ita alius duobus distinctis locis domicilium habere, & ex illis forum sortiri potest, & tunc in electione est actoris ubi convenire hunc velit.

LXXV.

Mutatio domicilij, secundum leges nostras Civem eximit nec à muneribus, honoribus, nec jurisdictione sibi reperitur Civitatis originaria, quibus consuetudinem presertim Germania generalem contradicere, hancq; observari hodie videmus.

LXXVI.

Elegans admodum & practicabilis est hac quaestio: An
B 3 civis

Civis qui domicilium mutavit dato tributo, quod quidam DD. vocant jus migrationis, nos den Zehenden / revertens ad eundem locum, per q̄, unum at q̄, alterum annum commorans, statutus istius loci teneatur? Affir. respondendum omnino existimamus.

LXXVII.

Instantia quoq; coram iudice domicilij capta hujus mutatione non perimitur, cum juris certissimi ibi iudicium finendum ubi captum.

LXXVIII.

Ratione Obligationis, ubi se alteri quis obligavit vel contractu, vel delicto. quod in contractibus procedere putamus, si ibi vel inveniatur, vel longissime absit.

LXXIX.

Si verò alibi quàm ubi gestum negotium, se soluturum quis obligarit, tunc in loco non contractui, sed solutioni destinato conveniendum, pacti suadet aequitas.

LXXX.

Sic mercator advena qui iter facit, aut praternavigat mox discessurus, in loco contractus conveniri nequit, ut nec maritus si quando dos ab eo repetitur, ubi dotem accepit, vel instrumentum dotale conscriptum, sed solum ubi domicilium habet.

LXXXI.

Notandum autem hîc, quod in criminibus, prater locum domicilij, & commissi delicti, forum Rei sit etiam ubi is reperitur & accusatur.

LXXXII.

*Quo posito, facilis est responsio cum DD. querunt, utrum
in uno*

in uno territorio vel districtu delinquens in altero ratione perpetrati delicti puniri possit.

L X X X I I I .

Ac licet ad petitionem Judicis ejus loco ubi delictum perpetratum ad hunc ipsum remitti debere delinquentem jus omnino nostrum velit: non tamen hoc propter consuetudinem contrariam attendi, sed precario jure vicinitatis & amicitia, sub antigrapho sive literis reversalibus auff einen Revers oder Gegenbekennuß / interdum hanc remissionem fieri solere certum est.

L X X X I V .

Ratione REI petita ubi illa sita est, rejecto inter res soli & mobiles omni discrimine, reusq; ibi inventatur nec ne. Vbi igitur agri ibi finium regundorum judicio recte agitur, bonorumq; possessio petitur ubi bona sita sunt.

L X X X V .

Diximus supra regulariter actorem sequi forum rei, ne comprehenderemus personas quibus ad Principis consistorium adversarios suos trahere, nec ab his ad illud trahi singulari indulto concessum, ut pupilli, vidua, aliq; fortune injuria miserabiles.

L X X X V I .

Quod an locum sibi vindicet si actio L. diffam. ab his instituat, inter DD. non convenit. Negat Blarerus sup. d. L. cujus opinio an subsistat tentabimus.

L X X X V I I .

Res porrò qua in judicium deducuntur sunt dua, ab actore actio, & si quid actionis vim habet: Et à reo exceptio & si quid exceptionis vim obtinet.

Hinc

LXXVIII.

Hinc statuimus de omnibus rebus vel nostris, vel nobis debitis, si necessitatis ratio exigat, iudicio nos agere: litem verò excipiendò, vel aliquo alio modo actionem propulsando, suscipere.

LXXIX.

Forma iudicij, quæ hodie processus iudiciarius, olim ordo & ritus dicebatur, non eadem semper, sed pro libidine eorum, qui iudiciorum constituendorum auctoritatem habent alia atq; alia, atq; eadem ex singulorum etiam consuetudine varia, illaq; in quoquo foro observanda, quæ usu recepta.

XC.

De illis quæ ad formam seu ordinem Iudiciorum pertinent quedam sunt & dicuntur preparatoria, quedam intermedia, quedam consequentia. Intermedia illa, quæ peraguntur à tempore litis contestatæ usq; ad sententiam. Quæ verò ante litis contestationem, & post latam sententiam preparatoria & consequentia,

XCI.

Vt autem ea, quæ à litis contestationis tempore usq; ad sententiam aguntur, in Iudicio propriè fieri dicuntur, ita & principales Iudicij partes statuimus litis contestationem cognitionem & sententiam.

XCII.

Litis contestatio est ejus rei de qua controversia apud iudicem, ex utraq; parte testato facta narratio petitionem unius responsionem alterius litigantis continens:

XCIII.

Præsentiam itaq; litigantium tam rei quàm actoris requiri, sunt qui contra negantes affirmant, quorum opiniones distinctione quadam nos conciliare posse estimamus.

Quomodo

X C I V.

Quomodo autem lis à parte REI contestanda an negativè solum, an verò & affirmativè D D. variant? Nos pro intentione aëtoris utrumq; Jure fieri statuimus.

X C V.

Quo posito illos errare dicimus qui autumant simplicem REI confessionem inducere litis contestationem.

X C V I.

Ac licet Jure communi hæc contestatio adèò necessaria, ut nec Judicis auctoritate, vel partium consensu omitti possit, omis sag; processum vitiet, nullamq; reddat sententiam ipso Jure: Constitutione tamen nova Imperiali, dummodo de meritis causæ principalis ex actis Judici plenè constare potest, nullam requiri, testatum reliquit Gail.

X C V I I.

Effectus litis contestatæ sunt plurimi, inter quos & hi numerantur, quod litigantes ex quasi contractu de vitios teneat, actiones temporales perpetuet, exceptiones dilatorias tollat, possessorem b. f. in mala constituat, prescriptionem impediatur, procuratoremq; litis dominum faciat, ut nec mandatum procuratorium, sine causæ cognitione, ab ipso principali revocari queat.

X C V I I I.

Libelli mutationem an impediatur ambigitur? negativè subscribimus, si justa emendationis causa subest, illaq; allegatur.

X C I X.

Cognitio causæ contestatione litis sequitur, posita in his cognoscendis quæ ad causam pertinentia à litigantibus acta & probata

C

batu


bata sunt. Hac ita necessaria ut etiam nullius sit momenti
sententia qua lata sit causa non prius Iudicij diligenter co-
gnita,

C.

Postremò ut à lite contestata Iudicium incipere, ita sen-
tentia lata illud desinere concludimus, illaq; regulariter
acquiescimus.

F I N I S.





*in uno territorio vel districtu delinquens in alio
petrati delicti puniri possit.*

LXXXIII.

*Ac licet ad petitionem Judicis ejus loco ubi
petratum ad hunc ipsum remitti debere deli-
minò nostrum velit: non tamen hoc propter
contrariam attendi, sed precario jure vicinitas
sub antigrapho sive literis reversalibus auff ein
Gegenbekennnuß / interdum hanc remissionem
tum est.*

LXXXIV.

*Ratione REI petite ubi illa sita est
res soli & mobiles omni discrimine, reusq; ibi
ne. Vbi igitur agri ibi finium regundorum judi-
bonorumq; possessio petitur ubi bona sita sunt.*

LXXXV.

*Diximus supra regulariter actorem sequi
comprehenderemus personas quibus ad Princ.
adversarios suos trahere, nec ab his ad illud in-
dulto concessum, ut pupilli, vidua, alijq; for-
serabiles.*

LXXXVI.

*Quod an locum sibi vindicet si actio L. d
stituitur, inter DD. non convenit. Negat
L. cujus opinio an subsistat tentabimus.*

LXXXVII.

*Res porrò qua in judicium deducuntur
actore actio, & si quid actionis vim habet: L
& si quid exceptionis vim obtinet.*

